



# Disputatio chirurgico-medica inauguralis de gangraena et sphacelo

<https://hdl.handle.net/1874/345217>

15.

DISPUTATIO CHIRURGICO-MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
GANGRAENA ET SPHACELO,  
*QVAM*  
AUSPICE SUMMO NUMINE,  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**M. JOHANNIS LEUSDEN,**  
Philosophiae Doctoris, & Linguae Sanctae in Illustri  
Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii,  
UT ET  
*Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Nobilissima*  
*Facultatis MEDICÆ Decreto,*  
**PROGRADU DOCTORATUS,**  
Summisque in MEDICINA Honoribus, Praerogativis &  
Privilegiis ; ritè & legitime consequendis,  
*Publice ventilandam exponit*  
**JOHANNES JOACHIMUS WINDHAUSEN,**  
Holstato-Glückstadiensis.  
*Ad diem 27. JUNII, ab hora nona ad undecimam.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiz  
Typographi, clc lcc xciiii.

CONSANGUINEIS  
PRÆCEPTORIBUS  
FAUTORIBUS  
ATQUE  
AMICIS.



*Disputationem hanc Inauguralem  
conseerat*

AUCTOR.



DISPUTATIO CHIRURGICO-MEDICA

I N A U G U R A L I S

D E

GANGRÆNA & SPHACELO.

T H E S I S I.



Onsistere vitam corporis anima-  
lis in continuatâ & vegetâ san-  
guinis humorumque ex eo pro-  
deuntium , circulatione , per in-  
numerabiles (ne dicam infinitos)  
partium stabilium canales , ma-  
jores minoresque , quâ secretiones  
& excretiones (per conseq. fun-  
ctiones) omnes necessariò procedunt : morbum au-  
tem omnem , (qui quasi mors continua , ejusvè prin-  
cipium , dici potest) dependere ex motus istius cir-  
cularis imminutione majore vel minore , adeoque ca-  
naliuum diversorum obstructione multiplici , quâ se-  
cretiones & excretiones (per conseq. functiones) sup-

A 2

pri-

#### 4 DISPUTAT. CHIRURGICO-MED.

primuntur, invertuntur aut abolentur; ratione certè & experientiā, adeò est stabilitum, ut religio foret id in dubium vocare. Ego qui Laureæ Apollinæ conquirendæ gratiâ Lemma quoddam inauguraile, cœu processuum Academicorum specimen (prout moris est) adornare cogor, obstructionum istarum maximam, cui nomen impositum est *Gangræna & Sphaceli*, paucis hic, Auspice Deo T. O. M. explicandam suscipio.

#### §. I I.

*Gangræna & Sphacelus*, significant in generè partis unius vel plurium νέκρων, sive mortificationem, quod vī vocum græcarum γάγρανα, quod εἰς τὸ γένευ, comedere, καὶ σφάελος, ἀπὸ τὸ σφάξεων, jugulare, occidere derivantur fatis clarum esse existimamus: in specie autem *Gangræna* significat incipientem partium molliorum mortificationem, cum qua adhuc dolor aliquis & ardor coniungitur, nonnullis dicitur ignis S. Antonii vel Marcelli, & Germanis audit (*der heisse Brand*: *Sphacelus* verò (sideratio quibusdam dictus) perfectam partium non solum molliorum, verum etiam ossium mortificationem omni sensu abolitò, & Germanis dicitur *der kalte Brand*: solent etiam Chirurgi *Gangrænam* exprimere vocabulo *suffocationis*: inutiliter autem disputatur, an hi affectus sint tumores, vel ulcera, cum utrumque dici posse fatis constabit ex seqq.

#### §. III. Suc-

# INAUGURALIS.

## §. VI I I.

Succedunt vulgo Gangræna & Sphacelus inflammationibus, contusionibus & fracturis partium notabilibus, colorque partis affectæ rubicundus flammeus, successivè transit in lividum, cæruleum & atrum, præsentis Sphaceli signum certum: sensus quoque paulatim ita deperditur, ut etiam si profunde pars affecta scarificetur, vel scindatur, nullum omnino sensus præbeat indicium. Rarissime cum Gangræna & Sphacelo conjungitur pus, adeò ut si in gangrenosâ parte pus aliquo modo compareat, hoc ipsum (ut loquitur *Clar. Wedel pathol. med. dogm. sect. 2. cap. 13.*) sit ἔργηνa quoddam Chirurgorum, signum vitæ resurgentis, & spem optimam præbeat; non negandum tamen & hoc, quod pus sæpè ad putrilaginem gangrenosam, valde fœtidam abeat, tuncque semper malum præbet signum, sive instantis mortis, sive cancri.

Conjunguntur semper cum gangræna & Sphacelo graviori, febres continuæ, licet non valde acutæ, sed hecticam æmulantes, crebræ cordis palpitationes, lipothymiaæ & animi deliquia, appetitus prostratus, ingens sitis, quæ omnia, in sequentibus, clare & distinctè, perceptâ causâ continentे, luce meridianâ clarius explicabuntur.

## 6 DISPUTAT. CHIRURGICO MED.

## .1. SI. IV. 2

Primo autem necessum erit, ut in naturam inflammationis, tanquam fontis primarii gangrenæ & sphaceli, inquiramus: hanc vulgo Auctores oriri statuunt à sanguine extravasato & stagnante, adeoque fermentante & calorem præternaturalem suscipiente; sed si hæc esset vera & genuina omnis inflammationis causa, sequeretur, quod ubicunque sanguis esset extravasatus, ibi semper adesset inflammatio: at qui sæpiissimè in contusionibus, sanguine extravasato & stagnante, nulla adest inflammatio, ergo non potest dici unica & genuina, sive proxima inflammationis causa: Verum siquidem salia quævis crassiora (vulgo fixa dicta & corrosiva) sive ex gremio sanguinis secreta, sive ex sex rebus non naturalibus dictis, aliisve fortuitis rebus immediate partibus communicata, ardorem, dolorem, ruborem, & omnia quæ inflammationes & erysipelata comitantur, symptomata semper excitare obseruemus, clarum est, quod iex iis primariò omnis inflammationis causa proxima quærenda sit: nempe cum salium figura sit indefinitis modis acuminata & complanata, eorumque moles constans & rigida, evidens est, quod prementibus aliis, ab omni circumferentia fluidis, minus quam corpuscula mollia & inflexibilia cedant, adeoque admotum vehementem semel concitata, constantius in eodem perseverent, constantioresque circa alias res effectus sortiantur: supponamus itaque, particulas aliquas acumi-

V. 2

E. A.

natas

natas & complanatas rigidas, tubulis canaliculisque  
hujus aut alterius partis corporis angustioribus ita  
inhærere, ut liberè progredi nequeant, sed obstruc-  
tionem pariant; manifestum est, quod non omni-  
bus cavitatum punētis accuratē accommodari pos-  
sint (obstat enim figura earum inæqualis acuminata  
& complanata) sed maneant quædam interstitia, ra-  
tione magnitudinis & figuræ, inæqualia; cumque  
aliæ humorum particulæ continuò à tergo succeden-  
do premant, sed propter obstructionem progredi  
nequeant, cumque æther (vacuum enim dari con-  
tradicitionem involvit) per poros salium, partisque  
affectione, omnes libere nequeant perruere, certè per-  
nicissimi motus sui actione, tantam facit fibrillarum  
nervosarum, membranofarum &c. concussionem tre-  
mulam, ut mens indè suscipiat ideam ardoris, &  
quoniam eadem actione violentâ, cum prædictæ  
fibrillæ periculum incurvant ruptionis, vel aëtu rum-  
pantur, idcirco mens dolorem percipit acutum, &  
quidem pulsatilem, si vicinæ fuerint copiosæ aut  
magnæ arteriæ, quarum vibratione interpolatâ, fi-  
brillæ magis expanduntur & tenduntur; nec obscu-  
rum hinc esse potest, cur color partis affectione sit in-  
tensè rubicundus flammeus, vehementissimo enim &  
celerrimo ætheris circa poros salium motu ad latera  
ita depelluntur globuli cœlestes sive luminis radii.  
ut non amplius (uti solebant) ad lineam rectam  
sed circularem celerrimè moveantur; in quo consi-  
dit omnis rubedinis causa: denique attendenti ob-  
vium erit, quod dum æther vehementissimè & ce-  
lerrimè, quantum possibile, per lineam rectam po-

ros

## 8. DISPUTA TA CHIRURGICO MED.

ros partis affectæ, saliumque peccantium, ad interiorem sanguinem humoresque circulantes transeundo (non aliter ac fulmen vinum vel cerevisiam intra dolea utū maximè conclusa perturbat) undique ad latera depellat particulas crassiores, motu rectilineo obstantes, unde successivè massa sanguinea ratione mixturæ suæ ita turbatur, ut oriatur febris continua acuta, omnis inflammationis notabilis comes individus.

§. V I.

Sic inflammationis naturâ demonstratâ, facilè explicabitur, quomodo ipsi aliquando succedant gangræna & sphacelus, nempè si humores salini & acres corrosivi canales plurimos arteriosos, venosos, nervosos & lymphaticos ita obstruant, ut circulatio fluidorum omnium per partem inflammatam tollatur, illico est in procinctu *gangræna*, & quo pertinacior fuerit illa obstructio, eò facilius producetur *sphacelus*, præ primis cum salia illa fixa, fibrillas partis affectæ lentè solvant, ut in cincinnos resiliendo, viam humoribus circulare conantibus in omnem dimensionem præcludant: si verò contingat, ut prævaleant salibus particulæ oleofæ & flexiles disruptione fibrillarum facta suppuratio sive puris collectio (melioris ominis) obtinebitur.

§. V I I.

Nunc veniunt explicanda gangrænæ & sphaceli sympto-

Symptomata numero 4<sup>to</sup> enarrata : scilicet cum propter inflammationem massa sanguinis vehementer fuerit turbata , nondum ad pristinum sive naturalem mixturæ ordinem reversa est , hinc *febris* *orientur continua* sed *non adeo acuta* , ac in ipso statu inflammationis , quoniam fibrillis ruptis , liberiorē aethér per omnes poros tam salium quam partis affectae adeoque totius massæ sanguineæ nactus est transitum , & quoniam simul durante inflammatione , multæ particulæ subtile per cutim , aliaquæ corporis emunctoria , fuere dissipatae , hinc crassiores remansæ languidius motæ non nisi febrem causantur lentam , quæ tamen non minus periculum ægro affert , quam alia acuta , quatenus & vires valde sunt prostratae , & effluvia multa corrosiva ex parte gangrenosa , penetrant versus interiore vascula , ita ut lege circulationis ad cor & alias partes delata , sanguinem ita incrassent & turbulent , ut ineptus evadat ad circulationem ( adeoque ad vitam ) continuandam ; & hoc est , quod vulgus vocare solet transitum gangrenæ versus cor . Cum itaque guttæ sanguinis inæqualiter sint mixtæ & compositæ , magnamque habeant acrimoniam , clarum erit quod inæqualiter contrahantur ( seu potius convellantur ) cordis musculi , ut producantur *palpitationes cordis frequentes* , quæ si fuerint adeo vehementes , ut sanguis sufficienti motu nequeat adversus vasa cerebri propelli , evidens est , secretionem spirituum animalium succumbe-re , adeoque supervenire *Lipothymiam* : præterea quoniam liquor gastricus ex sanguine turbato ,

10 DISPUTAT. CHIRURGICO-MED.

in ventriculi cavitatem secretus, consuetam non habet particularum proportionem & mixtionem, hinc ritè vellicari nequeunt fibrillæ nervosæ & membranosæ pro *appetitu* laudabili producendo, præprimis cum etiam spiritus animales deficiant, ita ut nec liquor gastricus satis in actum deduci possit, nec fibrillæ satis extendi pro motu vellicatorio vegetè ad sensorium commune transferendo: Denique siquidem humores omnes sint crassiores & acriores, hinc non solum obstruunt glandulas ductusque salivales, ita ut lympha sufficienti quantitate secerni nequeat ad gulam humectandam, sed etiam vellicant fibrillas nervosas & papillares faucium, ut mens suscipiat ideam tristem *sitis* notabilis.

§. V I I I.

Causa antecedens horum affectuum (de signis enim filebo, cum constent ex antecedentibus) est sanguis extraordinarie crassus, terrestris & acer fixus sive austerus, ex quo cum similis naturæ humores prodeant, mirum haud erit obstruktiones prædictas produci.

§. I X.

Causæ procatarcticæ possunt esse innumeræ, ex sex rebus nonnaturalibus petendæ, quæ omnes collimant & ad sanguinis vehementem crassitiem & acrimoniam suppeditandam, & obstruktiones pertinaces producendas: Tales sunt aër intensè calidus aut fri-

frigidus, ictus fulminis; ictus serpentum, vel animalium aliorum venenatorum, alimenta vel medicamenta (potius venena dicenda) terrestria, repellentia & acria corrosiva, ut acidi plurimi liquores, narcotica immodica, vel intempestivè sumpta, ictus, lapsus, contusio gravior, fractura, luxatio, ligaturæ nimis arcta, & similia plura.

## §. X.

Nunc tempus est, ut gangrænæ & sphaceli even-  
tum, tam ad salutem quam mortem breviter pro-  
ponam: Minus periculosi sunt affectus, si particu-  
lare aliquod membrum carnosum externum occupa-  
verint, quam si plures & majores partes internas,  
nervosæ, tendinosæ, & membranosæ (v. g. ce-  
rebrum, meninges, ventriculum, intestina, ves-  
cam, &c.) obfesserint, in peste, febris malignis,  
petechialibus &c. tunc enim mortem certo certius  
inferent: salutare signum esse solet proveniens pus  
& separatio mortuæ carnis à viva, cum virium re-  
stauratione febrisque imminutione: diarrhæa, deli-  
rium convulsiones si superveniant, lethalia sunt:  
hydropi superveniens gangræna, ut plurimum etiam  
est lethalis. Sphacelus pejor est gangræna, ut satis  
constare potest ex causis.

## §. XI.

Curationis opus absolvunt media Chirurgica,  
pharmaceutica & diætetica: Ex chirurgia petun-

12 DISPUTAT. CHIRURGICO-MED.

tur scarificationes, cauteria, & extirpationes : Ex pharmacia petuntur interna decocta, mixturæ, pulveres, spiritus, essentiæ, tinturæ & similia, externa autem epithemata, cataplasmata, lavamenta, balnea &c. quorum omnium formulas prolixas si hic corradere vellemus, codicem daremus maximum : præcipua tamen hic apponemus : Primo itaque pars gangrenosa aut sphacelo correpta ope cultri acuti est variis in locis scarificanda, ad sanam partem usque ut sanguis emanet, tunc egregie pars abluitur sequenti lavamento :

R. Aq. vit. Matthiol. 3ij.

Theriac. compos. camphorat. 3x.

Spir. Sal. ammon. super calcem.

viv. destil. 3ij.

Tinct. myrrh. 3vj.

Mell. scyllit. (aut si hoc defecerit)

Rosac. 3i*B*.

M. F. Lavamentum.

deinde imponatur sequens cataplasma :

R. Rad. aristol. rotund.

Gentian.

Angel. ver. aa. 3j.

Cucum. aſin. 3x.

Bryon. 3i*B*.

Herb. phillandr.

Scord.

Abrot. mar.

Mar-

*Marrub.* aa. m*ß.*

*Flor. Sambuc.*

*Chamomill.* aa: p. iij.

*Sulph.* viv.  $\frac{3}{4}$ j.

*Calc.* viv. 3*ß.*

concis. contus. & cribrat. coq. in f. q. aq. commun. & vin. alb. gall. addendo f. q. simi vaccini vel alb. græc. vel fæcum vini aut cerevisiæ, ut f. cataplasma, irrorandum, dum imponituro spiritu theriacali camphorato. In leviore gangræna Chirurgi magnum ponere solent præsidium in aq. calc. viv. In misc. cur. ann. 2. obs. 2. admodum extollitur aq. marina cui absinthium incoctum fuerit. Ad proserpentem gangrænam sistendam convenit butyrum antimonii rectificatum, in circumferentiæ circulo inter partem sanam & mortuam illitum. Interim sudorifera interna & diaphoretica alexipharmacæ continuò sunt propinanda v. g. loco cerevisiæ.

*R. Rad. salsap.*  $\frac{3}{4}$ j.

*Scorzon.*  $\frac{3}{4}$ j.

*Liquirit.*  $\frac{3}{4}$ *ß.*

*Herb. Scord.*

*Meliss.* aa. mj.

*C. C. limat.*  $\frac{3}{4}$ *ß.*

*Sem. citr.*  $\frac{3}{4}$ vj.

*Hord. mund.* mj.

coq. in f. q. aq. comm. ad lib. v. addendo post decoctionem vini generosi rhenani antiqui  $\frac{3}{4}$ x. pomorum citri in taleolos concisorum No. ij. M. F. julapium. ali-

## 14 DISPUTAT. CHIRURGICO-MED.

quando sumatur sal. vol. C. C. ad 3j. superbibendo vinum calidum aromatisatum , vel usurpetur Tinctura aliqua bezoardica , sp. sal. ammon. juniperinus , castorinus , salia alcalia fixa , infusio rad. contrajerv. & similia. Omnia purgantia acriora nocent , si que alvus sit laxanda , id fiat clystere vel blando laxante. Separatione facta carnis mortuæ à viva , imponatur seq. unguentum.

R. Ung. basil. 3j.

Sp. cochlear. 3j.

Mell. rosar. 3j.

M. F. unguentum plumaceolis imponendum : Factam autem esse separationem , (ut ritè dicit Clarissimus & Experientissimus Dominus Professor Munnicks Chir. Lib. I. cap. XVII. ) partis ægræ à sana , ex eo dignoscitur , quod latius malum non serpat , atque appareat circulus exactè rubens , exquisitique sensus , in quo spissa & alba reperitur materia.

Verum enim vero , quum gangræna aut sphacelus remediis propositis aut similibus ritè adhibitis ulterius proserpat , deveniendum est , ( si fieri possit , constantibus adhuc viribus) ad partis affectæ extirpationem , periculum tamen præmonendo : hæc amputatio fieri debet in parte ( vid. Cels. lib. 17. cap. 33.) sana , paulo super carnem mortuam , & in procinctu sit vel cauterium actuale (quod optimum) vel potentiale , aut stypticum , ad hæmorrhagiam nimiam cohibendam ; modum autem procedendi unus quisque legere potest in chirurgorum libris , spe.

speciatim *Hildani*, *Aquapendentis*, à *Solingen*, citati celeberrimi *Munnicks* &c. Eschara separanda est unguento aliquo emolliente vel butyro insulso, & postea per digestiva & consolidantia ulcus est ad curationem producendum. Caro spongiosa, si luxuriet, consumi potest pulvere sabinæ, cum pauxillo aluminis usci & carbonum ligneorum, vel inspergatur pulvis ex Vitriolo calcinato, alumine usci, plumbo usci, cerussa & lapide calaminari, imponaturque emplastrum desiccavitum ex minio, cerussa, diapompholygos &c.

## §. X I I.

Diæta debet esse aromaticæ & sudorifera, comprehenduntur juscula carnium aromatizata, aër sit calidus sive naturâ, sive arte, alvis respondeat arte, vel natura, modicum corporis exercitium (pro renata) conducit.

## COROLLARIA.

## I.

*Nulla inflammatio sine obstructione concipi potest.*

Nec

**I I.**

*Nec tamen obstructio sola causatur inflammationem.*

**I I I.**

*In omni inflammatione est solutio continua.*

**I V.**

*Doloris unica, & immediata causa est vel actualis ruptio, vel periculumruptionis fibrillarum sensitivarum.*

**V.**

*Opium operatur & rarefaciendo, & coagulando.*

**V I.**

*Fœtus nutritur & per os, & per vasa umbilicalia.*

**F I N I S.**